

CONRADVS DE MVRE CANONICVS TIGVRINVS.



Conradus ille fœlici ingenio præditus magnâ sibi eruditionem comparauit. Itaq; Ecclesiæ Tigurinæ canonicus factus est, circa annum Christi 1270. cum Ryodolphus Habsburgensis innotesceret. Hic multos libros composuit, & in magna authoritate fuit. scripsit is magnum uolumen de diuersis poetarum fabulis. præterea carmen de naturis animalium, librum de Sacramentis, passionē Fœlicis & Regulæ, libellum de proprijs nominibus fluuiorum & montium, Cathedrale Romanū, laudes beatæ uirginis, Clypearium Theutonicorum, Catalogum pontificum & Cæsarum, cum alijs. Vnde Rodolphus Cæsar factus, eum ob uirtutes plurimūm dilexit, ac inter familiares connumerauit, Ges. in Bib.